



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

XXXVI. Epistola Conradi Episcopi Passauensis ad Abbatem Admontensem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

pe interueniens nouam pariat difficultatem; & nos rei coram DEO inueniamur; Episcopus quoque aduersum nos querelam inueniat, graues se in vanum expendisse labores dolens.

XXXV.

*Epistola Conradi Episcopi Passauensis  
ad Abbatem Admontensem.*

**C**ONRADVS DEI GRATIA Patauiensis Episcopus G. venerabili Abbati Admontensium salutem & fraternæ dilectionis plenitudinem. Scire discretionem tuam congruum ducimus quod III. Kal. Iunij super controuersia, quæ diu agitata est inter nos & Fratres Cremesmunsteræ de electo eorum Irmberto Prælatos Ecclesiæ nostræ in eundem locum conuocauimus. Ad hoc causa deducta est, quod de cætero nullam vocem habet, quæ admittenda sit, contradicendi, quia appellatio, quam ad Dominum Papam fecerunt omnino frustrata est, & nullum scriptum, nobis seportauerunt. Inde est, quod summo opere vos rogamus, ut proxima quarta feria post habitum conuentum Prælatorum nostrorum nobis omni occasione remota occurratis, & electum illum, in locum, ad quem Deus eum vocauit, ubi & aduentum vestrum præstolamur, vobiscum adducatis.

XXXVI.

*Epistola Conradi Episcopi Passauensis ad  
Abbatem Admontensem.*

**C**ONRADVS DEI GRATIA Patauiensis Ecclesiæ humilis minister G. Venerabili Abbati Admontensium Cœnobij salutem æternam, & sinceram dilectionem. Ad ostium amici pulsauimus & pulsamus.



sumus, & Deo fauente, pulsare non desistimus, donec accipiamus panes, quotquot habemus necessarios. Vestra igitur pietas dignetur exaudire preces nostras petitionibus, & mandato Domini Archiepiscopi adiunctas, Fratrum quoq; Fratrem vestrum Dominum Irmbertum petentium dignanter exaudite clamores, ita videlicet, ut, si non eò quod amici simus, propter improbitatem tamen iugiter pulsantium surgatis, & postulata donetis. Ne verò in longum differatis ulterius, quod petimus; dilectum Fratrem nostrum G. Præpositum, de latere ad præsentiam vestram mitimus; cui etiam commisimus plurima dicenda, ex parte Domini Archiepiscopi, & nostra, quàm comprehendi valeat Epistolari compendio. Ipsum igitur benignè audite; tam pro suæ fidelitatis certitudine, quàm pro nostri dilectione.

XXXVII.

*Epistola Eberhardi Episcopi. Bambergensis ad Irmbertum.*

**B**ERHARDVS, DEI GRATIA, Babenbergensis Ecclesiæ humilis minister, specialiter dilecto, & in Abbatem diuinitus electo Domino Irmberto salutem & synceræ charitatis affectum. Cor nostrum præ gaudio dilatatum est, quando, vos à Deo nobis datū vsq; ad nostra iā peruenisse, cognouimus; sperantes, quod in troitū vestrū benedicti⁹ sit Deus nobis & domui nostræ. Toto itaq; cordis affectu in amplexus vestros spirituales vlnas charitatis expandimus, corde simul & ore dicentes; *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Postpositis autem omnibus aliis negotiis, in Assumptione Beatissimæ MARIÆ Virginis cum iocūditate vos recipere, Domino annuente, disponimus, ut Beatus Michaël Archangelus in consortium supernorum ciuium suis vos assumat patrocinis. Rogamus autem, ut infra terminos Episcopatus nostri appropiando nuncium nostrum Michi uel expectetis.

XXXVIII. Epi-